

etiam populi Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatum: populi Romani exercitus eodem duce, non maxime manu, innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum ejusdem consilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam: nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: nostra sunt tro-paea, nostra monumenta, nostri triumphi. Quare quorum ingeniis haec feruntur, ab iis populi Romani fama celebra-tur. Carus fuit Africano superiori noster Ennius: itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e mar-more. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi Romani nomen ornatur.

X. In coelum hujus proavus Cato tollitur: magnus honos populi Romani rebus adjungitur: omnes denique illi Maximi, Marcelli, fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui haec fecerat, Radium hominem majores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem, multis civitatibus expetitur, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate ejiciemus? Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex graecis versibus percipi, quam ex latinis, vehementer errat: propterea quod graeca leguntur in omnibus fere gentibus, latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare, si res hae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur: cupere debemus, quo minus manuum nostrarum tela peruenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt, tum iis certe, qui de vita gloriae caussa dimicant, hoc maximum et periculis incitamentum est, et laborum. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is